Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26237
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iudeis ad xpistum conuertentur ac flentes retractos errores exaudientur reseratisque oculis cordis sui uidebunt fontem aque uiue de quo dicit dominus. Si quis sitit ueniat et bibat. Unde non hismael exauditio interpretatur dei. Angelus autem iste similitudo est helie. per quem populus iste est credituus. Sicut per malachiam dicitur. Ecce mitto uobis heliam qui conuertet patrem in filios et cetera. Vnde non qua stati angelus dominum uocauit agar dicens. Surge tolle puerum quia in gentem magnam faciam eum. Significat hoc siue quod populus iudeorum copiosus esset regnaturus in sancto populo. siue quod regnum celestis gloriam consecuturi essent in xpistum. Quod autem eundem angelum quem loquitur ad agar prius angelum scriptura pronunciat dominum. deinde dei filium eundem fuisse credendum est qui per legem et prophetas semper locutus est. Deus autem secundum naturam patris quia et uere ipse deus est sicut et pater. De immolatione ysaac.

Abraham significat pater excelsus. Ysaac xpistum. Nam sicut abraham unicum et dilectum filium deo optulit uictimam. ita dominus unicum filium suum pro nobis omnibus tradidit. Et sicut ysaac ipse sibi ligna portabat. quibus erat imponendus. ita xpistus gestabat in humeris ligni crucis. in quo erat crucifigendus. Duo autem illi serui dimissi et non perducti ad locum sacrificii iudeos significabant. qui cum seruiliter uiuerent et carnaliter sapere non intelligebant passionem eius. et ideo non peruenerunt ad locum sacrificii. Cur autem duo serui. quia in duo diuisus est populus. Salemone peccante. Asinus ille insensata est stulticia iudeorum. Ista insensata stulticia portabat omnia sacramenta. et quod ferebat nesciebat. Quod dictum est expectate hic cum asino donec reuertamur ad uos. apostolum audi dicentem. Cecitas ex parte facta est in israel. quod cecitas ex parte est. hic cum asino ut plenitudo in que gentium intraret. hic est postquam adorauimus uel sacrificium domini crucis completum per gentes fuerit predicatum. hic est plenitudo gentium intret. et tunc reuertemur ad uos et sic omnis israel saluus erit. Triduum in quo uenerunt ad locum immolationis. Tres mundi etates significant. Una ante legem. alia sub lege. Tercia sub

Vel per obedientiam patrie uoluntatis angelus uocatus est.